

Accipe quae regis sedes cultusque dicetur: 8
Urbs colitur Nili propter umbrosa fluenta,
aequoris in gremio, cereali dives anona,
nomine Amazonidos quae dicitur inclyta Memphis.
Hic sibi templa dari sacrata sede recepto
iussit cornigeri genitus sub honore Lyaei.

VERSUS IN CAESARES ROMANOS EX
HISTORIA AUGUSTA

In Commodum

Commodus Herculeum nomen habere cupit, 1
Antoninorum non putat esse bonum,
expers humani iuris et imperii,
sperans quin etiam clarius esse deum
quam si sit princeps nominis egregii.
Non erit iste deus nec tamen ullus homo.

In Pescennium Nigrum

Optimus est Fuscus, bonus Afer, pessimus Albus. 2
